

05

A

970

A D A M I

THEODORI

SIBERI,

Professoris Eloquentiæ.

IN

ACADEMIA

VVITEBERGENSI,

DISSERTATIONCVLA

Typis Mullerianis.

(Helm)

THEODORI

STEARL

Prothloris Eloquentia




IN

ACADEMIA

50 A 970

WALTERBERGENS

DISSERTATION



Typis Müllerianis





Vod. Ceteros olim

facere solebant, ut in lustro con-
dendo à bono nomine ordirentur: idem nobis quoque faciendum existi-
stimamus, ut incuntis hujus quin-
quennij, ex quo disciplinam eloquentiæ tracta-
mus, operas ab eo oratore prosequamur, qui se-
cundissimi præter cæteros ominis esse videatur.
Quo sanè in genere non est, quòd multa, aut diu-
turna cogitatione hæreamus. Statim enim sese
offert idem ille noster Demosthenes Arpinas, qui
instar omnium est, ille, inquam, urbis Romæ ac
patriæ suæ pater, vel potius, quod nostra magis
refert, ille facundiæ, Latiarumque literarum pa-
rens, ut eum Polyhistor Plinius appellat, M. Tul-
lius Cicero. Quantus enim is vir, & quantus ora-
tor fuerit, tum clarissima monumenta, atque opera
illius satis testantur, tum consentiens omnium se-
culorum, nec tam posteritatis, sed, quod incredi-
bile sit, ejus ipsius, qua vixit, ætatis judicium com-
probat. Nam si qui vel olim, vel proximis secu-
lis, qui paucissimi fuerunt, obtrectare illius sem-
piternæ gloriæ veriti non sunt: eos satis constat,
partim malevolentia, partim inscientia, non de
laudatissima illius existimatione quicquam dimi-
nuisse, sed sibi ipsis foedissimas intemperantiæ, im-
pudentiæq; notas inussisse. Qua de re quia pe-
culiaris dicendi locus constitutus nobis est, bo-
num factum fuerit, si legant interea alumni elo-
quentiæ, quæ pro Cicerone contra Erasmi vi-

atione & in ius veterum comparandis. Cæsar Scaliger gravissimè nuper verissimèq; differuit: relaturi fructum eum, & qui ad ingenij cultum, & qui ad iudicij subtilitatem atque sinceritatem tanto majus momentum allaturus est, quanto plus studij ab ijs, & temporis fuerit in ea disputatione cognoscenda collocatum. Quum autem Tulliana scripta omnia maxima minima ejus bonitatis ac præstantiæ sint, ut copiosè loquente sapientia, quam uno verbo eloquentiam appellamus, instruere nos unicè possint, qua de causa idem Plinius ea ipsa *Ciceronis scripta non modò in manibus quotidie habenda, sed etiam ediscenda* censet: explicatu tamen facile non est, quidnam potissimum ex amplissima illa copia deligere debeamus, cujus tanquam auspiciore ductu locupletius deinceps efficere queamus auditorium. Nam quum superioris solitudinis in mentem venit, ecquid loci ad spem celebritatis relinquatur, non sanè admodum apparet. In quo tamen nullam nostram culpam esse, testimonio, ut speramus, non levissimo, re videlicet ipsa, convincere facile possumus. Explanavimus quatuor orationes Catilianas; explanavimus tres, ut vocant, Cæsarianas, pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro; explanavimus illas pro Archia, post reditum ad Quirites, pro lege Manilia, & novissimè eam pro Milone, quam Asconius Pedianus jure primam, Quintilianus autem pulcherrimam, nobilissimamque appellat. At quomodo explanavimus? non certè, ut
in tri-

in trivio solet; quo nihil t. tr. u. nam apud
magni nominis interpretes, modo rudi, absurdo,
& infanti, sed ut in Academia, & Academia Wite-
bergenfi fieri par est, ubi non pueri loqui, sed dicere
adolescentes doceri debent, ratione quadam, nisi falli-
mur, accurata, recta, ac diserta: quæ, ut rara avis
est, ita quin operosa nobis fuerit, fructuosa autem
alijs esse potuerit, ij demum jure suo dubitabunt,
qui vel infantiam pro facundia, vel loquentiam du-
cunt pro sapientia, animam certè habere videri
queant pro sale. Interposuimus præterea his ora-
tionibus, atque uni itidem & alteri Livianæ, pro-
ximè quidem opusculum ejusdem de optimo gene-
re oratorum, ab hinc autem biennium Partitio-
nes oratorias: quo libro ut nihil subtilius ac lima-
tius, ita nec perfectius atque consummatius quic-
quam in hoc genere Græcia habet, & Latium.
Alterum nos sensimus non sine ingenti labore ex
rei ipsius usu atque experientia, neque id tam pro-
pter docendi, quàm propter dicendi genus Aristo-
teleum, breve & acutum; alterum fatebuntur o-
mnes, qui supra vulgares, ac vulgatos illos, & vel
pueris hodie cognoscibiles libellos sapiunt aliquid
in rhetoricis. Quæ propterea hic commemora-
mus, non quòd gloriolæ alicujus aurulam capte-
mus, cujus flatu in arrogantia scopulos meritò im-
pingamus, quo nihil alienius esse debet ab eo, qui
sanæ mentis sit: sed ut omnium non arbitrij, sed
judicij faciamus, nihil à nobis hætenus in qua-
drienni ista operarum nostrarum tractatione
prætermisum, quò minus lectissima eloquentiæ &
præcepta

præcepta tradere & exempla ipsa proponere-
rentur. Quæ tractatio si quotidianis ac plebeijs in-
genijs atque judicijs, de quo dubitare non debeo,
parum probatur: at, scio, probabunt eam (copia
modò typographi sit) optimi, ac doctissimi Eu-
ropæ. Quorum unum atque alterum, præsertim
autem è Germanis, quum pari auditorum frequen-
tia usos esse hîc, atq; alibi, tum in isto oratorio, tum
in alijs humaniorum literarum generibus partim
ipse viderim, partim ab alijs audierim: non est mi-
hi scilicet locupletior conditio expetenda, quippe
cui ad existimationem vel hoc unum honorificen-
tissimum videri debeat, quorum eruditionem
æmuleris, cum ijs docendi fortuna exæquari. Fer-
tur quidem ille nescio quis (de autore enim non
constat) quum quæreretur ab illo, quò tandem spe-
ctaret tanta artis suæ diligentia, quam ad paucissi-
mos redigi videret, respondisse, Satis sibi esse pau-
cos, satis esse unum, satis esse nullum. Bene ille,
bene, ut testatur etiam Seneca philosophus, vel
optimè potius. Nemo enim artifex suspensas ha-
bere debet disciplinæ suæ rationes è sectato-
rum numero, nisi & ipse sit numerus: neque ego
unâ litera minus ero disertus, etiamsi mihi uni tan-
tùm, meoq; Mercurio vacandum sit. At enim verò
hac ratione non eloquentiæ, quæ fortasse hodie
nulla est, non facundiæ, quæ partes suas agrè tue-
tur, non omne genus bonis artibus, quæ barbaricè
oppressæ conuiescant rursus necesse est, non rei-
publicæ, cujus intererat disertos multos habere,
non denique, si qua futura est, posteritati consultum
itur,

itur, cui pro lauta & eleganti literarum a majoribus accepta supellectile, nihil aliud, quam affanatum struices relinquemus, pro quibus mirum si Lælius Decimus (nam de Persio cogitare religio est) nauci dandum Afranij putaret, aut cicum Plauti. Verum nos ab invisa quidem, ideoq; etiam invito penè stilo expressa, sed necessaria tamen, ac boni tantum publici causa usurpata querela ad rem propositam accedamus. Quod igitur felix, & Latinae si non eloquentiae, ac facundiae saltem, aut linguae commodum, fortunatumq; sit, & explanabimus deinceps Philippicas Ciceronis Orationes: quae orationes ut ex omnibus ejus orationibus tempore postremae sunt, ita cum argumenti dignitate, tum artis propè dicam divinitate primum tibi locum summo jure vendicant. Nihil in ijs vel sententijs, vel verbis laxum, aut Asiaticum, nihil tolerabile, aut mediocre: astricta omnia, atque Attica, omnia singularia, atque admirabilia deprehendas. nec mirum. sunt enim oratoris unici, qua de re non nobis, sed Livio credatur historico, qui ita inquit: *jussu Antonij præcisum caput Ciceronis in rostris positum est, ubi ille Consul, ubi consularis, ubi e o ipso anno adversus Antonium* (Philippicas nostras intellige) *quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat.* Illud quidem affirmare nos habemus, nihil propè præceptionum à rhetoribus tradi, cujus in his orationibus luculentissima exempla non extent: imò ea potius observari posse dicendum est, quæ rhetoribus nostris in mentem ne per somnium quidem unquam venerunt. Iam argumentum

mentum e... tribus verbis, Reipublicæ
Romanæ libertas: quam vīr ille nunquam satis laudatus,
& salutis patriæ, quàm suæ semper studiosior
omnibus animi viribus, omnibus ingenij nervis asserit,
propugnat, defendit. In quam utramque
rationem & rerum & verborum ne uberius hīc
nos diffundamus, facit angustia chartæ: & singula
quæque suo loco satis cumulatè, cum Deo, exequemur.
Fuerintque ista intelligentibus satis multa, non
intelligentibus, aut negligentibus, plus etiam quàm
nimia. Prop. XVII. Calend. Decemb.
M. DCI.



05 A 970

ULB Halle 3
003 754 936


WDA





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

THEODORI
IBERI,
ris Eloquentiæ,
IN
ADEMIA
BERGENSI,
TATIVNCVLA
pis Mullerianis,

(1607)

